

INNOCENTIUS II

PONTIFEX ROMANUS

PROLEGOMENA

NOTITIA EX BULLARIO ROMANO

(COCQUELINES, *Bullarum, privileg. ampl. Collect.* Romæ 1739, fol., t. II, p. 202.)

Gregorius, natione Romanus, monachus cœnobii Lateranensis Sanctorum Joannis Baptiste, Joannis evangelistæ atque Pancratii, itemque abbas monasterii Sanctorum Nicolai et primitivi ordinis Sancti Benedicti, loco qui vocatur Gabi, prope locum Burratum (1), mox diaconus cardinalis Sancti Angeli, electus est in Romanum pontificem die 15 Februarii 1130, Sabbato sequenti ordinatus est presbyter, et in crastino, die scilicet Dominica 23 mensis ejusdem, consecratus est pontifex. Sedit in pontificatu ann. XIII, mens. VII, dies IX (2), imperantibus in Oriente Joanne Comneno, in Occidente Lothario II, hinc Conrado rege Romanorum. Obiit 24 (3) Septembris 1143, et sepultus est in basilica Lateranensi; post septem annos corpus ejus translatum est ad ecclesiam Sanctæ Mariæ Transtiberim tituli Castri. Vacavit sedes per diem.

Schisma vicesimum sextum in Ecclesia.

Altera ab Innocentii papæ electionis die, Petrus Leonis filius, presbyter cardinalis S. Mariæ Trans-

A tyberin, homo peccati, qui super electum a Catholicis Catholicum, et canouice, locum sanctum invasit armis, igne, pecunia, non vitæ vel virtutum merito (4), et Anacleti secundi nomen accepit. Consecratus est apud S. Petrum, quo die Innocentius PP. apud S. Mariam Novam consecrabatur. In concilio Stampensi a Gallis rejectus, et in Reimsensi ac Pisano excommunicatus, tandem post septimum schismatis annum mortuus est die 25 Januarii 1138. Corpus ejus in latibris sepultum est.

Schisma vicesimum septimum in Ecclesia.

Nono anno pontificatus domini Innocentii secundi summi pontificis, mense Martio, primæ inductionis, anno scilicet 1138, cum Anacletus antipapa mortuus esset, cardinales sui consilio accepto, Gregorium cardinalem papam sibi et invasorem constituunt, Victoremque appellant. Sed post duos menses abdicatis a Victore ad Innocentii papæ pedes usurpatis insignibus, redditæ Ecclesiæ pax est.

(1) Ita legit Baronius in archivio tituli Sanctæ Præxedis.

(2) Emortuali excluso. Annos hic Innocentii a die electionis enumeratos præter morem (ut enim sapienter dixi, pontificie administrationi anni computandi sunt a die consecrationis) si quis admiretur, debuisse me Innocentium ipsum sequi advertat, qui in rescripto inferius ponendo num. 7, quamvis datum sit die 22 Februarii 1132. Legitur tamen: *Datum, etc., VIII Kal. Martii 1132, pontificatus Innocentii anno III,* et in eo quo Innocentius papa monasterium de Chemiuon ab ordine S. Nicolai de Arroasia ad

Cisterciensem translatum, cœnobio de Tribus Fontibus subdividit; legitur itidem: *Dat.... XIII Kalend. Martii, indict. I, Incarnationis Dominicæ anno 1137, pontificatus vero D. Innocentii papæ secundi anno IX,* qui dies 17 Februarii electioni et consecrationi Innocentii interjacet.

(3) Hunc diem morti Innocentii assignandum edocet nos epistola Cœlestini II ejus successoris, qua Cluniacenses de sua electione certiores facit, et quam nos suo loco referimus.

(4) Ita testatur S. Bernardus in epistola ad episcopos Aquitanorum, num. 126